

SECTIO SEPTIMA DE  
TROCHISCIS.

\*



Poχίσκον κυκλίσκον ἀργίσκον, Græcis omnibus, & alio quoque diminutino ποχίσκον, κυκλίσκον, Democrati dicitur medicamentum quoduis in formam rotulae, orbiculi, pastilli, qualis est semini lupino, coactum. Eius generis sunt antidoti cephalice, oticae, ophthalmicæ, arteriacæ, & hypoglottides multæ. Trita simplicia humore conuenienti subiguntur, & in pastillos digeruntur, utendi tempore ex vino, aqua alio quoquis liquore congruenti soluti, ebibuntur: vel admouentur, vel alijs miscentur. Trochisci enim quidam magnis compositionibus miscentur, ut theriaci, hedychroi, scillini theriacæ in ea dicti, alipta moschata, gal lia moschata, diarhodon, & alijs permulti alijs, de quibus hic agendum, uti & de his, qui interdum per se usurpan tur, interdum alijs miscentur, quidam sumuntur, alijs illi nuntur, alijs injiciuntur.

**I**N hac sectione septima de trochiscis, eos præcipue describemus, qui tum à maioribus nostris, tum à nobis sunt inueniti: quosque experti sumus.

Trochiscorum sequentium usus est rarus, præter quam in magnis compositionibus, ut theriace: qui autem seorsum usurpan tur, puluerati, ut quando compositionibus miscentur, ex vino, vel iure, vel aquis distillatis quidam sumuntur: alijs in cote medica liquore idoneo sciuuntur: alijs aliter in usum veniunt, pro varijs ipsorum viribus, varia partis & ulceris forma & situ. Fiunt autem trochisci, id est, rotulae, vel cyclisci, id est, circuli, vel artisci, id est, pastilli, seu parui panes, consistentia dura, forma lupuli, aut paulo al-

tiore: ponderis ferè drachmæ vnius, quò facilius ad diutur-nam conseruationem siccantur.

**T**roch. galliæ moschatæ, cerebrum, cōrque roborat, oris atq; adeò corporis totius odorem commendat, compositionibus aliis miscetur: recipit xylaloës, crudæ, bonæ, electæ, partes quinq;: ambræ, partes duas: moschi boni, partē vnā, glutinis, tragacanthi & aquæ rosatæ quantū sufficit ad ea comprehendenda. Fiant trochisci figura folij myrtlei, sigillentur, vase vitro reponantur. Alij ambram in vase vitro dissoluunt oleo balanino paucō: ac eo cætera comprehendunt.

+ In aqua  
rosarum fo-  
luti.

10

Potest huius drach. vna multis consequenter matutinis ex vino, vel iure, vel aqua destillata idonea sumi, ad roboram ventriculum, hepar, & partes alias nutritorias longo morbo fractas. Possunt ȳdem in eleclaria solida cum saccharo, vel liquida cum melle recipi, ut horum vnc. due, si delicatus: vel tres: si efficacius vis medicamentum, sacchari vel mellis libram vnam habeant. Eleclarij autem huiusmodi sumitur vnc. dimid. vt prius. Afferri ex Oriente, sed male paratam dicit Manardus.

**T**roch. galliæ Sebellinæ, ventriculum, cor, hepar, imbecil 20 la roborant: in alias compositiones magnas immittuntur: recipiunt foliorum rosarum recentium, humidarum, se aperire incipientium vnc. vnam & dimidiā: tere curiosimè in mortario lapideo: tunc ipsi saloës bonæ, caryophyllorum, gummi, spicæ Indæ, ana drachmam vnam & dimidiā: sanctali citrini, drachmas duas: ramich, drachmas tres: omnia minutissimè trita commisce, & contere diem vnam cum rosis, aliquoties affundendo aquam rosatam infusionis gummi Arabici. Postremò aromatiza moschi drachm. vnius partibus duabus, ambræ & caphuræ ana aureo dimidio. Forma trochi- 30 scos, & sigilla.

Recipitur in aromaticum nardinum. sunt tamen qui eius loco troch. galliæ moschatæ miscent.

**O****T**roch. galliæ aromaticæ, veteribus celebratisimus ad cerebrum, cor, ventriculum, hepar, cæterásq; partes nutritorias roborandas, neruósque imbecillos illitu firmat: celebri

bribus deniq; compositionibus miscentur: recipit autem emblicarum exosفاتارum, vnc. quatuor, quæ parum tritæ triduo in vase vitro probè operculato macerentur lib. dimid. aquæ rosatæ, cui prius rosæ siccæ, & cortices citrorum sint immersi, infusiq;: deinde aquæ rosarum prædictæ infusionis vnc. quatuor præterea immitre, & postridie tantūdem, donec emblicarum virtus aquis sit impressa. Tunc accipe ligni aloës drach. octo: ramich vnc. vnam & dimid. rosarum, caryophyl. ana drac. decem, spicæ Indæ drach. tres: santali flavi aromatici drach. quatuor: gummi Arabici drach. sex: tere tenuissimè, & cum prædicta infusione emblicarum pauletum adiecta misce, & finge

trochiscos: sigilla, aromatiza caphuræ & moschi ana drac. vna: ambræ drach. duabus, serua vitro vase.

**T**roch. galliæ magnæ, seu regalis, ventriculum, cor, hep-  
par, catærásque partes nutritorias roborat: appetentiam excitat, coctionem iuuat: recipit succi dactylorum immaturo-  
rum, lib. vnam quæ semel feruefiat, cola: in ea coque ad mellis  
crafsiem, gallarum recentium curiosè tritarū, vnc. tres: dein-  
de rosarū rubrarum, vnc. vnam: cardamomi, seminis fraxini,  
caryophyllorum, nucis moschatæ, mastiches, ligni aloës, ana  
drachmas septem & dimidiam: cinnamomi drach. tres: santali  
flavi drach. quinque: croci drachm. dimidiam, gummi Arabici  
drach. vnam: tere, cribra, misce prædictis, extende super mar-  
mor oleo amygdal. vnetum donec siccentur: terantur tunc te-  
nuissimè, moschi aureo dimidio aromatizentur cum aqua ro-  
sata: siant trochisci parui, siccentur in umbra.

**T**roch. diarhodon, efficacissimi ad febres pituitosas, anti-  
quatas, aliis implexas, formam corruptentes, ventriculi  
dotorem leniendū, & humores ipsi adhærentes detergendo:  
recipiunt foliorum rosarū rubrarum aureos sex: spicæ aroma-  
ticæ, ligni aloës, ana aureos duos: glycyrrhizæ aureos tres: spo-  
dij aureum vnum: croci aureum dimidium: mastiches drach.  
duas cum vino albo fac trochiscos drach. vnius pondere.

*Hos trochiscos Mefues suis compositionibus magnis mi-  
scet. Nicolans autem suos diarhodon his diuersos suis.*

**T**rochi de rosis, ventriculum & hepaticæ firmant, humo-  
rēsque ab illo detergent: ob id phlegmaticæ febri con-  
ducunt: recipiunt foliorum rosarum, drachmas decem: gly-  
cyrrhizæ drachmas quinque: spicæ aromaticæ, drachmas duas

& dimidiam: vino albo excipe: si purgatorios vis, adde scammonij drachmas tres.

Dantur ad ventriculi & hepatis, & aliarum partium nutritiorum imbecillitatem ex morbo longo, & intemperie frigida, humida, febres antiquas, hydropis initium. Quanuis autem diarhedon significet de rosis, tamen hoc loco differunt, ut apud Galenum, & alios leucacantha, & acantha leuce: chalcanthum: & chalchu anthos: aphronitron, & aphros nitru, & alia pleraque, ob aliquam differentiam nunc coniuncta, nunc diuisa.

10

○ **T** Roch. de rosis & eupatorio, obstructionem hepatis probè leuant, & inde nascentes, icterum, febres antiquas, & aliis complexas: recipiunt foliorum rosarum, drachmas octo: spicæ, rhabarbari, glycyrrhizæ, ana drachmas tres: spodij, drachmam vnam & dimidiam: succi eupatorij drachm. decem: cum manna fac trochiscos.

○ **T** Roch. de rosis multorum scriptis celebrati, efficaces ad multos affectus: præsertim ad ventriculi dolorem, malam coctionem, febres antiquas, hydropem incipientem, & illos maximè, quibus forma corruptitur: recipiunt rosarum 220 drachmas quatuor: ligni aloës, drachmas duas: mastiches, drachmam vnam & dimidiam: absinthij Romani, cinnamomi, spicæ nardi, casiae ligneæ, schoenu anthus, ana drachm. vnam: cum vino antiquo, & aqua decoctionis radicum, fac trochicos drachmarum duarum.

Radices sunt vreticæ quinque intelligendæ, rufci, asparagi, apij, petroselini, fæniculi.

+ **T** Roch. Ramich, ventriculum, cor, hepar imbecilla firmat, & lubrica viscera ac intestina, cholera morbum Arab. sistit, acrimoniam obtundit, animum reddit tranquillum, o-  
id mixturae mnem hæmorrhagiam cohibet: ob quam naribus sanguine ex gallijs et fluentibus flando impellitur, alii medicamentis miscetur: re-  
vuis pafsi, cipit oxalidis vncias sexdecim: semel feruefiant cum rosa-  
vt quidam rum vncia vna: baccarum myrti, vnciis duabus: cola: his mi-  
interpretā- sce gallarum recentium curiosè tritarum vncias tres: coque  
tur. iterum. Deinde pulueriza super ipsa foliorum rosarum vn-  
ciam

ciam vnam : santali flavi vnc. vnam, & quartam: gummi Ara  
bici, vnciam vnam : & dimidiā carnium rhois, spodij, ana  
drach. octo: omphacij, drachmas septem: succi baccarum myr-  
ti multūm tritarum, vncias quatuor: ligni aloës caryophyllo-  
rum, macis, nucis moschatæ, ana drachmas quatuor: misce  
omnia simul, & extende in scutella lapidea usque dum siccen-  
tur: post tere minutim, & cum caphuræ aureo uno, & aqua  
rosarum fac trochiscos paruos, secca in umbra. Sunt qui lo-  
co succi oxalidis sumunt succum cydoniorum immaturorum:  
20 quidam quoque aromatizant moschi drachmæ vnius quar-  
ta parte.

*In multis compositiones recipitur, propter quas solas  
quibusdam paratur, illas compositiones usurpatibus. Ra-  
mich autem Serapioni gallia est, aut galliae materia. Gal-  
liae autem videntur trochisci quidam predicti vocari à  
gallis fructibus: quas ferè recipiunt, aut per se aut per tro-  
chiscos ramich, qui gallarum vncias tres recipiunt.*

Gallia autem moschata cur sit appellata, non video, cum  
nec gallas, nec ramich accipiatur: ramich autem nescio an ex  
20 rumice Latina voce corruptum est, quem largissimum hæc  
compositio recipit.

**T**rochisci caphuræ, ad febres ardentes bilis & sanguinis †  
feruorem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, &  
ab his sitim inexpletam, ieterum, quoque, ac phthisim & he-  
ticam conferunt: recipiuntque foliorum rosarum drachmas  
quatuor: spodij, glycyrrhizæ, ana drachmas duas: santalorum  
flauorum, drachmas duas, & dimidiā: croci, seminum melo-  
num, citruli, cucumeris, cucurbitæ tragacanthi, gummi, spi-  
cæ, ana drachmam vnam: ligni aloës, cardamomi, amyli, ca-  
phuræ, ana drach. vnius partes duas: sacchari albi, & mannæ,  
ana drachmæ tres: comprehendere mucagine seminis psyllij, &  
30 aqua rosarum.

† Extracta  
cum succo  
rosarum.

*Vt præcedentes parantur, non quòd per se usurpentur,  
sed quòd in alias compositiones veniant. Spicam tamen &  
crocum, xylaloën, cardamomum, & etiam saccharum, mā-  
nam, febribus acutis noxia tolle, si contra ipsas his es usu-*

*rus. Trochisci albi, seu collyrium album Rasis his affines sublatis calidis: recipiunt cerus & lotæ, drachmas decem: amyli drachmas quatuor: gummi Arabici, tragacanthi, ana drachmas duas: caphuræ drachmam dimidiam: Fiant trochisci sic, gummis aqua rosarum solutis addatur reliquorum puluis tenuissimus. Fiant trochisci à medico vtendi in in collyria secca, vel humida.*

**T**roch. rhabarbari, valent ad hepatis obstrukcionem, dolorem, tumores praeter naturā, affectus inueteratos eiusdem, & hydrozem, & icterum, & formæ corruptionem: recipiunt rhabarbari boni, drachmas decem: succi eupatorij, amygdalarum amararum, ana drachmas quatuor: rosarum, drachmas tres: spicæ, anisi, rubiæ, absinthij, asari. seminis apij, ana drachmam vnam: fac trochiscos ponderis vnius aurei.

*Quibusdam sunt in vsu ad frigidos, & pituitosos, ac etiam biliosos affectus hepatis, quibus corporis habitudo seu forma cachexia corrumpitur, vt in hydropicis & ictericis & cæteris cacheclicis, ob hepatis depravatam aëlionem. Dantur drachma vna ex aqua aut vino, pro affectuum & aliorum indicantium natura. Ad comprehenda autem omnia, vt trochisci fiant, succo eupatorij largiore opus est. Troch. ex rheo Indico Aëluary sunt his affines: ponderibus tamen variant.*

**T**roch. spodij efficacissimi in febres acutas ventriculi, & hepatis inflammationem, & sitim vehementem: recipiunt spodii, drachmas quatuor: rosarum rubrarum, drachmas septem: seminis portulacæ, succi glycyrrhizæ, ana drachmas duas cum mucagine sem. spyllij, fac trochiscos drachmæ. vnius, vtere cum succo mali granati. Sunt qui addunt semen quatuor, gummi Arabici, tragacanthi, croci, ana drach. vnam & dimidiam.

**T**roch. spodii alii, cum semine oxalidis ad febres biliosas cum alui fluore valent: inflammationem ventriculi & hepatis, & sitim continuam sedant: recipiunt rosarum rub. drach. duodecim: spodij, drachmas decem: seminis oxalidis, drachmas sex: seminis portulacæ, seminum coriandri ace to

to maceratorum, & torrefactorū, pulpæ rhoīs, ana drachmas duas & dimid. amyli assi, balaustiorū, baccarū oxyacanthæ, ana drach. duas: gummi Arabici assi, drach. vnam & dimidiā: comprehendē omphacio: utere cum aliquo succo adstringēte.

*Fluorem alui & dysenteriam iuvant, vel poti drachma una cum aqua plantaginis, aut vino austero, aqua calybatæ ingulato, si febris adest: vel drachmis duabus clysterie iniecli: purgato tamen prius corpore per rhubarbarum torrefactum, vel simile, & intestinis clysterie alio ante de-*

*terfis: si im verò et febrilem ardorem extinguit cum aqua intybi, cichory, vel alia.*

**T**roch. oxyacanthæ, febres ardentes extinguunt, ac sitim vehementem: recipiunt baccarum oxyacanthæ, aut succi earū, succi glycyrrhizæ, seminis portulacæ: spodij, ana drac. tres: rosarum, drachmas sex: spicæ, croci, amyli, tragacanthi, ana drach. vnam seminis citruli, drach. tres & dimid. caphuræ, drach. dimid. cum manna fac trochiscos.

**T**roch. oxyacanthæ alij, ad intemperiem calidam, fluorem alui, hepatis dolorem: recipiunt baccarum oxyacanthæ drachmas duas: spodij, mastiches, xylaloës, galliæ, spicæ, seminis oxalidis, ana drachmam vnam: rosarum, drachmas quinque: gummi, drachmas tres: cum aqua rosarum fac trochiscos.

*Rarior vsu hic, quam superior: amborum loco fuerit vna oxyacanthæ condita.*

**T**roch. absinthij, obstruktiones ventriculi & hepatis, & ab his dolorem, & febres antiquas tollunt: dictas partes, reliquasque nutritorias roborant, appetentiam excitant: recipiunt rosarum, absinthij, anisi, ana drachmas duas: rhubarbari, succi eupatorij, asari, apij, amygdal. amararum, spicæ, mastiches, folij, ana drachmam vnam: fac trochiscos cum succo intybi. Da cum sacco herbarum.

*scilicet absinthij, eupatorij, apij, aut cum aqua ex ipsis destillata.*

**T**roch. eupatorij, obstruktionem & tumorem præter naturam hepatis & lienis sanant, ac inde natas febres antiquas, & harum rigorem, icterum incipientem hydropem:

recipiunt manne, succi eupatorij, ana vnciam vnam: rosarum,  
vnciam dimid. spicæ, drach. tres: rhabarbari, asari, anisi, ana  
**eupatorij.** drachmas duas: spodij, drachmas tres & dimid. cum herba-  
rum succis forma trochiscos, & cum iisdem vtere.

**O** **T** Roch. anisi, obstrunctiones hepatis, & alios eius mor-  
bos, & inde natas febres antiquas sanant: recipiunt ani-  
si, eupatorij, ana drach. duas: semenis aneti, spicæ, ma-  
stiches, folij, absinthij, asari, apij amygdalarum amararum,  
ana drachm im dimidiā: aloës drachmas duas: compone  
cum succo absinthij & apij. Da cum syrupo acetoso & succo 10  
herbarum.

**O** **T** Roch. anisi alijs ex decem simplicibus, hepatis vitia, & in-  
de natas febres antiquas, & quartanas, & formam cor-  
rum, pentes sanare sunt à veteribus probati: recipiunt ani-  
si, succi eupatorij, ana drach. quatuor: mastiches, spicæ, apij,  
absinthij Romani, asari, folij, ana drach. vnam: amygd. ama-  
rarum drach. vnam & dimid. aloës bona, drach. duas: confice  
cum decocto absinthij.

*Mitteriam crassam tenuant: obstrunctiones hepatis &  
lienis liberant: flatus dissipant.*

20

**T** Roch. cancam, ad obstrunctiones hepatis & lienis, & in-  
de natas febres varias antiquas, & ascitem, vrinas mo-  
uent: recipiunt cancam mundati, succi glycyrrizæ, ab-  
sinthij, oxyacanthæ, succi eupatorij, rhabarbari, aristolochiae  
longæ, costi, asari, amygdalarum amararum, rubi, anisi, apij,  
schœnu anthūs, ana drach. vnam: fac trochiscos ponderis dra-  
chimæ vnius.

\* **T** Roch. terræ sigillatæ nostri admodum efficaces ad spu-  
tum sanguinis, cum aqua plantaginis poti: ad fluorem  
verò sanguinis è naribus, fronti illiti ad menses immo-  
dicos, vtero inieicti, vel pubi illiti: ad mistum sanguinis, in ve-  
sicam inieicti, & ad alijs hæmorrhagijs, parti sanguine fluen-  
ti impositi: recipiunt sanguinis draconis, gummi Arabici af-  
fis ramich, foliorum ros rum, & semenis carundem, myli af-  
fi, spodij, acaciæ, hypocisthidos, lapidis hæmatitæ balaustij,  
boli Armenicæ terræ sigillatæ, fumariæ, corallij, succini,  
ana drachmas duas: margaritarum, tragacanthi, papaueris ni-  
gri, ana drach. vnam & dimid. portulicæ affæ, cornu cerui  
vsti, thuris masculi, croci, ana drach. cum aqua plantaginis fac-  
tro

trochiscos. Da cum aqua infusionis spodij, gummi, boli Armenicæ, spicæ: ad sputum sanguinis ex thorace aut pulmone reiecti, cum aqua portulacæ sumitur: ad excoriationē, cum succo cydoniorum, vel alio adstringente: ad hæmorrhagiam partium infernarum inicietur cum aqua bursæ pastoris. Cogimur interdum his trochiscis addere opij drach. duas, aut plures, aut pauciores.

*Troch. sphragidis Lemniae, seu sigillati terræ Lemniae, in fluore sanguinivè naribus, ex succo plantaginis & oui albumine soluti, fronti, & temporibus applicantur in membranis immodicis, coxis internis, & lumbis. sedenagi autem (quod hic habebat interpres) quidam non fumariam, sed cannabis semen intelligunt, quod euphiſtitidem alij dicunt volunt.*

**T**roch. colocynthidos in hieram Hermetis, & compositiones alias iniiciendi loco colocynthidos: recipiunt pul- Tr. albahadal.  
pæ colocynthidos albæ & leuis, & feminibus purgatæ, drach. decem: forcipibus incidentur, & fricentur cum vncia vna olei rosati: fac trochiscos cum muccagine ex tragacanthi, gummi, bdellij, ana drach. sex: aqua rosarum dies quatuor maceratis, sicca in umbra: tere iterum curiosè, & cum eadem muccagine forma rursus trochiscos, & utere.

*Nec hiera Hermetis, nec hi trochisci etiam in simplicibus Mesiae descripti surpantur: salubriores tamen quam ipsa colocynthis sunt.*

**T**roch. santalorum, ad febrem ardētem, ventriculi & he- O  
pati intemperiem calidam, & sitim: recipiunt trium san-  
talorum ana drach. octo: spodij, seminum cucumeris, cucurbitæ citruli, portulacæ, boli Armenicæ, ana drach. quatuor: rosa-  
rum, drach. sex: fac trochiscos cum aqua portulacæ. Da cum  
laetè acido, aut omphacio, aut succo acido citri, aut succo  
ribe.

**T**roch. santalorum alijs idem promittentes, recipiunt san- O  
talorum flauorum, drach. duas: gummi Arabici, seminis  
citruli excorticati, ana drach. vnam: seminum lactucæ, portu-  
laca, tragacanthi, succi glycyrrhizæ, ana drac. dimid. Fac tro-  
chiscos, utere ut prius.

○ **T** Roch. Hamec, sedant inflammationem, ventrem leniunt, thoracem purgant: recipiunt foliorum violarum humidi & sicci mediorum, aureos duodecim: turbith albi & gummosi, aureos sex: succi glycyrrhizæ, aureos tres: manne, drachmas tres: fac trochiscos. Dantur aurei duo cum saccharo, aut pulpa cassiae fistulæ: his interdum coacti addimus scammonij drachmas duas.

*Drachmis duabus purgant aquas & pituitam crassam, flatue q̄ dissipant. Si autem scammonium acceperint, etiā bilem purgant sesqui drachma dati, Trochisci de violis in 10 turbith, & capite de asthmate iſlis sunt finitimi.*

† **T** Roch. cyperi, corruptionem, malamque coctionem ventriculi, & inde natum oris foetorem salubriter, & certò emendant: recipiunt zingiberis, cardamomi, nucis moschatæ, cubebarum, macis, caryophyllorum, galliæ, gummi Arabici, ana aureum vnum: corticū citri, mastiche, florū schœnu anthūs, cyperi, spicæ cinnamomi, emblicarum, extrematum myrti, ana aureos duos: sunt qui addunt moschi ceratia duo: fac trochiscos cum melle vuato, vtere cum vino odoro post purgationem & vomitum.

*Horum trochiscorum drachma una post vacuationem materie in ventriculo putris & corruptæ, suo vapore tetro expirationem corruptentis, odorem fædum emendant, tum quia coctionem innuant aucto calore nativo, & ventriculo ab his roborato: tum quod odore aromatico etiam cor & cerebrum roborante,oris halitum fædum tegunt. Multum tamen calent, ob id aestate suspecti, & quibus hepar est calidius.*

○ **T** Roch. ligni aloës, ventriculum, cor, hepar, imbecilla roborant: ob id valent ad oris foetorem, pulsum cordis, & syncopem, hydropem: recipiunt ligni aloës, rosarum rubrarum, ana drachmas duas: mastiches, cinnamomi, caryophyllorum, galliæ, spicæ, macis, nucis moschatæ, cubebarum, cardamomi maioris & minoris, canticum citri, pastinacæ, ana drach. vnam & dimidiam: moschi, ambræ, ana drachm. vius partem sextam: fac trochiscos cum melle vuato. Da cum vino odoro & aromatico.

Tro

**T**roch. capparum, ad splenis duritiem & flatus eius dissipantur. recipit corticum radicis capparis, semenis agri, ana drac. sex: melanthij, calaminthes, acori, amygdalarum amarum, nasturtij, hammoniaci foliorum rutae, aristolochiae rotundae, succi eupatorij, ana drachm. duas: cyperi, scolopendrij, ana drach. vnam: puluis horum omnium comprehendatur hammoniacum aceto dissoluto. Datur aureus unus cum vino, cui incocta sint, radix capparis, cortex fraxini, & cortex tamaricis, aut extremitates rafnorum eius & cortex salicis. Sunt 10 qui valentius efficiunt duplicato hammoniacum.

*Materias crassas melancholicas tenuant, lienis & hepatis obstrunctiones liberant, sicque duritiem eorum sanant: flatus crassos indidem & ex partibus alijs dissipant. Dantur iejunis cum vino tenui, vel aqua asplenij. Cortex salicis adstringens, parum scopis propositis conuenit.*

**T**roch. electri, omnem haemorrhagiam fistunt: recipiunt succini, aur. sex: cornu cerui vesti, gummi vesti, corallij vesti, tragacanthi, acaiae, hypocisthidos, balaustij, mastiches, canthami, papaueris nigri assi, ana aureos duos, thuris, croci, opij, 20 ana aureum unum & dimidium: fac trochiscos cum mucagi- ne seminis & psyllij.

*Διαλέκτης, seu ex succino, fluxum sanguinis praesertim à thorace, pulmone, hepate, renibus, vtero, haemorrhoidibus drach. una sumpti cum aqua, aut succo plantaginis, vel polygoni, vel similiu, aut vino granatorium, aut omphacio non falso, aut vino austero imbecillo, & aqua pluia chalybata. In dysenteria quoque clystere injiciuntur corpore purgato per rhabarbarum, vel alio comprimento vacuato. Paulò autem fiunt troch. diaelectru ex psyllij vnc. quinque, 30 mastiches, electri, scobis, iridis, croci, ana vnc. quatuor, vel cum Gale. Oribasio, Actuario, drachm. triginta. opij, vnc. duabus, vel cum Oribasio & actuario drach. quindecim: cetera apud hos sunt eadem, nisi quod Actuarium scobis loti recte addit. Nam lotus arbor siccata, adstringit decocto suorum ramentorum in aqua aut vino, etiam Gale. lib. 7. simpl.*

\*  
Tro. Cara-  
bæ.

+Aqua fer-  
uente ma-  
cerati.

simpl. ut pilos fluentes cohibeat, & fluxum muliebrem, dysenteriam, cæliacum affectum.

**T**roch. halicacabi, ad renum & vesicæ ulcera, & natam  
inde dysuriam, recipiunt baccarum, halicacabi, drachm.  
tres: seminis citruli, melonis Indi, cucurbitæ, ana drach. tres &  
dimidiam: boli Armenicæ, gummi Arabici, thuris, sanguinis  
draconis, papaueris albi, amygdalarum amararum, succi gly-  
cyrrhizæ, tragacanthi, amyli, nucleorum pineorum, ana drac.  
**Sinopidis,** <sup>†</sup> sex: seminis apij, succini, <sup>†</sup>boli, hyoscyami, opij, ana drac. duas.  
vel milti, seu macra Da drach. vnam cum iulep. aut cum hydromelite.

Manard. *Hi trochisci dia phlegmonis, id est, de halicacabo: con-*

*ueniunt ardori urinæ quam vocant ab ulceratis renibus,  
ureteribus, vesica, meatu urinario pluribus continenter  
diebus assumpti cum iulep. ros. ito vel hydromelite, vel vi-  
no austero imbecillo. Nam ulceræ tergent, glutinant, &  
cicatrice tegunt, & urinæ acrimoniam ulceribus morda-  
cem mitigant, strigmenta cum urinis mucosa & dolorifi-  
ca obtundunt. Possunt etiam sine opio parari. Alia est com-  
positio Pauli & Actuary, magna parte cum hac conue-  
niens. Hactenus trochisci Mesuæ. Trochisci ex agarico sunt*

*ex ipsis puluere cum vino albo, cui Zingiber fuerit infu-  
sum, vires habet agarici, sed tutius agit, minoreq; ventri-  
culi noxa. Trochisci dia glauciu Gal. ad phlegmonas me-  
diocres, non pulsatiles, incipientes præsertim aurium, oculo-  
rum, & erysipelata incipientia, & œdemata, & aurium  
ulcera. Glaucium ex aqua pluvia diligenter tere: forma pa-  
stillos, addita gummeo parte duodecima, aut decimaquin-  
ta, si fragilius fuerit, quam formari posse. Tro. Andronis,  
Pasionis, Polyidae multiplex lib. c. ph. g. & Paulo lib. 7. Tr.  
dia opiu Galeni, ad aurium inflamarum dolorem ma-  
gnum, & implacabilem: recipiunt castrorij per se lauiga-  
ti accurate, drach. vnam, opij in sapa dissoluti, drachmam  
vnam, si dolor sit vehementissimus: si minor est, drachma  
dimis;*

Lib. 14. me.

Li. 3. c. ph. p.

20

30

dimidia:tempore vtendi dissolue sapa ex musto (hoc enim magis mulcet dolorem, quam vinum dulce) in constentiam, quæ clystere auriculario possit auribus infundi. Trochisi. bechici tuſim ab arteria asperæ siccitate & caliditate leniunt, in catapotis dicta recipiunt succi glycyrrhizæ, sacchari optimi, ana drach. sex: amyli, tragacanthi, amygdala. dulcium, ana drach. quatuor: cum succo sem. psilly, vel sem. cydoniorum forma. Troch. albi idem pollentes, ex gummi tragacanthi, in aqua rosarum dissoluti, & saccha. albiss. q. f. si insomnia adest, misce sem. lactucæ, & pa- paueris, ana drach. vnam: & in catharro acri. Mirum est vulgus catapotia vocare has hypoglottidas, & arteriacas antidotos, cum lupiniforma fiant uti cæteræ. Etiam si Messes harum autor pilulas vocet: alia sunt bechicae Alexan- dro pag. 120. Quanvis catapotia etiam bechica inueniantur, qualia sunt hæc Gale. lib. 7. com. ph. par. dolorem lenientia, somnum conciliantia, & sanguinem fluentibus salubria: styracis vncia vna, opij, myrrhæ, ana semuncia, passo disso- luta finge in catapotia, erui magnitudine dada dormituro.

## SECTIO OCTAVA,

## DE PULVERIBVS.

**P**ulveres odorati tenuissimi, & compositi, cum li- quore aliquando bibendi: Arabibus suffudicli, vñu hodie rarissimi.

**P**uluis ligni aloës, ventriculi humiditatē immodicam siccat, flatus dissoluit, coctionem iuuat: recipit ligni aloës vnciam dimidiā: galliæ aureum vnum & dimidiū, saccha. albi, vnciam vnam & dimidiā, potatur drach. tribus cum miua.

Cum miua simplici, vel aromaticæ, & aqua fæniculi, vel menthæ, vel absinthij horis duabus ante cibum, & si vis, vespere hora somni.